

Mercurius & Venus in eo prætereà convenire telescopiis hoc ævo deprehensi sunt, quod diversas Phases, perinde ut Luna, Terricolis exhibeant, adeoq; lumen suum, ut ut egregium, à Sole mutuuntur.

III.

De Stellis temporalibus.

§. 12. Præter Stellas ordinarias & perpetuas, quas hucusq; consideravimus, observare nonnunquam licet extraordinarias & temporales, quæ vel κατ' ἐξοχλήν dicuntur *Stella novæ*, vel in specie, *Cometæ*. *Stella novæ* sunt, quæ eandem cum fixis toto adparitionis tempore servant distantiam, quæque adeò primo tantum motu moventur. Qualem cum primis Tycho vidit anno 72. superioris seculi in sidere Cassiopeæ, & Kepplerus anno hujus seculi quarto in Asterismo Serpentarii.

§. 13. Stellis novis annumerari quoddammodo possunt *Stelle quasi renovatæ* s. *reciproca*, quæ certo tempore comparent, crescunt, decrescunt, evanescent, iterumque comparent in eodem loco, per vices. Quod annuo circiter intervallo præstat ea, quæ in collo Ceti sub Nodo piscium observatur, ultra lucidæ mandibulæ magnitudinem excrescens. Cui paria facit, longiori tamen intervallo renovationis, celebris illa quondam ab anno 1600. primùm ad usque annum 1621. in pectore Cygni sub specie tertiæ magnitudinis ad summum visa, quam non ita pridem quasi sextæ magnitudinis, unà cum aliâ quâdam sub capite Cygni ante hâc invisâ, denuò in conspectum prodiisse vigilantissimus noster primùm observavit Hevelius.

§. 14. *Cometæ* sunt Stellæ temporales, quæ diverso adparitionis tempore diversam à fixis exhibent distantiam, quæq; adeò motu non tantùm primo, sed & secundo, incedunt.

Quemadmodum Stella novæ κατ' ἐξοχλήν sic dictæ Fixis similes sunt, ita Cometæ Planetis assimilantur, unde etiam Planetarum simii vocantur. Eorum pleriq; radiis quibusdam ad unam partem longius protensis, tanquam barbâ vel caudâ, solent adparere, de quâ hoc ab omni ævo observatum est, quod in plagam Soli oppositam vergat, unde Cometæ à Sole illustrari haud obscure intelligitur: Ex quo porro sequitur, Cometæ non esse meteora quædam in aëre, quippe circa

B

Come-